

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 16: De conscientia (5)

Bernardus in libro contemplationum:

Integritatis tue curiosus explorator vitam tuam cotidiana excussione examina.  
Attende diligenter quantum proficis et quantum deficit,  
qualis sis in moribus et qualis in affectibus, quam similis deo et quam dissimilis,  
quam prope et quam longe, non locorum intervallis sed morum affectibus.  
Stude cognoscere te, quia multo melior et laudabilior es, si te cognoscis,  
quam si te neglecto cognosceres cursus siderum,  
vires herbarum, complexiones hominum,

celestium atque terrestrium scientiam.

Rege tuos affectus, redde ergo te tibi, et si non semper, saltim interdum.

Rege tuos affectus, dirige actus, corrigere excessus.  
In te nichil remaneat indisciplinatum.  
Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos.  
Statue ante te, te ipsum tamquam alium, et sic temet ipsum plange.  
Plora iniurias tuas et peccata, quibus deum offendisti.  
Indica ei miseras tuas.  
Ostende ei malitiam adversariorum tuorum.

Integritatis tuae curiosus explorator vitam tuam in quotidiana discussione examina.  
Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias,  
qualis sis in moribus, et qualis in affectibus, quam similis sis Deo, vel quam dissimilis,  
quam prope, vel quam longe, non locorum intervallis, sed morum affectibus.  
Stude cognoscere te: quam multo melior et laudabilior es, si te cognoscis,  
quam si te neglecto cognosceres cursum siderum,  
vires herbarum, complexiones hominum,  
naturas animalium,  
et haberes omnium coelestium et terrestrium scientiam.

[fons nondum repertus]

Rege tuos affectus, dirige actus, corrigere gressus.  
In te nihil remaneat indisciplinatum.  
Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos.  
Statue te ante te, tanquam ante alium; et sic temet ipsum plange.  
Plora iniurias et peccata, quibus Deum offendisti:  
indica ei miseras tuas,  
ostende illi malitiam adversariorum tuorum.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 5.14 (PL 184, col.494D-495A).